

dit in utrumque ut in objectum, sed phantasma ipsum attingit ut actum productum, quo mediante tenditur in rem repræsentatam, ut in objectum. At vero in præsentem, necesse est ut ille motus attingat imaginem et exemplar tanquam objectum, quod nec de motu cogitationis verum videtur, quia imago et exemplar cogitantur ut res diversæ, quibus diversi conceptus correspondent, nec de affectu adorationis, propter eandem causam.

38. *Triplex imaginum consideratio.*—*Ecclesiæ usus cur obtinuerit, ut uni ejusdem personæ imagini major deferatur honos quam alteri.*—*Celebris B. Virginis imago a D. Luca depicta.*—*Christi imago ab ipso ad Abagarum missa.*—Has difficultates proposui, ut ostenderem, primam illam rationem, si quid difficultatis habet, communem vere esse in omni sententia, et eadem facilitate explicari vel applicari principium illud ad hanc adorationem imaginis pure respectivam, qua ad alteram adorationem imaginis cum exemplari directe adorato. Primum igitur concedendum est, præter considerationem imaginis pure materialem, ut res quædam est sic fabricata vel depicta talibus coloribus, figura, etc., et considerationem imaginis, ut exercet munus imaginis, id est, ut facit præsentem personam repræsentatam, et in illam ducit tanquam in objectum quod, dari considerationem imaginis, ut talis res sacra est, quod ex dictis satis probatum relinquitur, et ex VII Synodo, quæ sæpe imagines rebus sacris annumerat, et parem venerationem eis attribuit; quam sententiam expressit etiam D. Thom., in 2. 2, loco supra citato, quamvis hoc loco non tam aperte eam declaraverit. Unde juxta Ecclesiæ usum, quamvis imagines ejusdem personæ in priori ratione repræsentandi æquales sint, tamen quatenus considerantur ut res quædam sacræ, potest una aliam excedere, si pluribus titulis et modis sacrata censeatur, ut si Deus per illam miracula operetur, aut si peculiari ritu Ecclesiæ benedicta sit aut consecrata, aut si non solum ut imago, sed etiam ut reliquia habeatur, ut est, verbi gratia, imago B. Virginis a S. Luca depicta, aut figura Christi in sudario, vel linteo quo faciem tersit, relicta, aut imago quam ad Abagarum misit. Quod ergo D. Thomas et doctores in hac materia hanc considerationem non distinxerint, fortasse causa fuit quæ supra tacta est, quia hæc ratio communis est cæteris rebus sacris, et quia explicata propria et difficiliore adoratione imaginis

cum exemplari, alia implicite exposita censebatur. Vel certe dici potest, sub illo membro considerationis imaginis, ut imago est, comprehendisse omnem considerationem imaginis, qua conjuncte cum ex exemplari consideratur, sive exemplar simul concipiatur, ut id quod præcipue adoratur, sive tantum, ut ratio adorandi; et hoc satis significavit Cajetanus dicens, quod imago tunc terminat motum, ut res, quando ratione sui, sive materialiter, sive formaliter terminat; tunc vero exercet actum imaginis, quando ratio ejus actus est exemplar, id est, ratio adorandi illam, ut statim declarat. Unde subdit, motum adorationis vere et proprie terminari ad imaginem, quamvis non ratione sui, sed ratione exemplaris; quare, quod inferius ait, non exhiberi adorationem imagini, ne sibi sit contrarius, et in apertum errorem labatur, intelligendum est non exhiberi adorationem imagini, ex se, seu propter se; nam eodem sensu inquit adorari imaginem non secundum se, sed secundum aliud in ipsa, quod est ratio adorandi ipsam. Quotiescunque ergo consideratur imago, ita ut tota ratio adorandi illam sit prototypum, formaliter ut imago consideratur; imo hoc est, quod per se ac formaliter requiritur ad considerationem imaginis, ut imago est, et adorabilis; quod vero ulterius cum imagine concipiatur exemplar ut objectum quod adoratur, pertinet ad perfectionem, magisque completum usum, seu exercitium imaginis.

39. *Qualiter in omni adoratione imaginis idem sit in ipsam, qui in exemplar motus.*—Atque hinc fit, etiam sub hac ratione seu consideratione, esse eundem motum adorationis in imaginem, et in rem cujus est imago, quia, ut explicando testimonia dixi, etiam hoc modo adoratur aequaliter exemplar in imagine, cum imago ipsa propter exemplar adoretur. Neque est difficile, quod in tertio puncto supra tangebatur, unitatem hujus motus in hoc modo adorationis declarare, tam in cogitatione quam in affectu; nam, cum imago sub hac ratione respective concipiatur, et ut res quædam sacra, ratione exemplaris, idem motus cogitationis tendit in imaginem in recto, et in exemplar quasi in obliquo, seu adæquate tendit in imaginem, ut sanctam ratione exemplaris; et eodem modo intentio cultus et reverentiæ tendit in ipsam, ut quod, et in exemplar, ut quo. Quocirca, quod Cajetanus ait, imaginem, ut res quædam est, includere non tantum materiam et figuram, sed etiam

relationem, et hoc modo non esse necessario eundem motum in imaginem, et in rem imaginatam, quamvis de materia imaginis, et de figura verum sit, tamen de relatione non ita videtur, saltem quoad motum cogitationis, quia non potest concipi imago sub formali relatione imaginis, quin talis conceptus aliquo modo ad exemplar terminetur; de motu autem affectus distinguere oportet, nam imago sub illo respectu potest placere propter solam pulchritudinem, vel perfectionem artis, quæ in ea relucet, et tunc verum est talem motum non terminari ad exemplar, neque ad imaginem ut imaginem, sed tunc revera ratio talis motus non est simpliciter respectiva, cum non accipiat rationem suam a termino seu exemplari. Unde aliter potest placere ille respectus imaginis propter suum terminum, et tunc est proprie motus in imaginem, ut imago est, nec potest talis motus a re imaginata omnino separari, quod in amore est manifestum; nam, si quis amet imaginem solum quia est talis personæ, cujus memoriam et affectum nata est excitare, certe ille est virtualis amor exemplaris, cum in illo fundetur tanquam in ratione amandi, nec potest talis affectus cum odio ipsius exemplaris consistere. Idem ergo est de motu adorationis, qui sub simili ratione ad imaginem terminatur.

40. *Qui debeat intelligi Aristotelicum pronuntiatum.*—Ex illo ergo principio attributo Aristoteli nihil potest contra nostram sententiam colligi, cum satis commode delectetur, etiam in hoc modo adorationis, eundem esse motum in imaginem, et in rem cujus est imago. In omni autem sententia fatendum est, motum in imaginem et in rem imaginatam non semper eodem modo terminari ad utramque; nam in motu memoriæ, de quo Aristoteles loquitur, motus terminatur ad imaginem tantum ut quo, et ad rem imaginatam ut quod; in motu vero adorationis, qui per imaginem recta tendit in prototypum, non solum prototypum adoratur ut quod, sed etiam imago, alioquin per talem motum non vere adoraretur imago, ut supra probatum est, et declaratum, quo modo ille motus sit unus, non tantum exterior, sed etiam interior, tum in affectu, tum etiam cogitatione; in respectiva vero adoratione imaginis, ut rei sacræ, idem motus adorationis tendit in imaginem, ut quod, et in prototypum, ut quo. Igitur principium illud solum est abstracte sumendum, quod motus in imaginem, ut sic, est aliquo modo motus in rem imaginatam; mo-

dus autem, quo attingit utramque, non semper est idem, sed juxta capacitatem materiæ declarandum est, et hoc significavit D. Thom., in 2. 2, quæst. 103, art. 3, ad 3, cum dixit motum in imaginem quodammodo esse etiam motum in rem imaginatam; atque ita satisfactum est omnibus difficultatibus propositis.

41. *Secundæ rationis principalis dilutio.*—Ad secundam rationem recte ibi responsum est, rem irrationalem non esse adorabilem propter se ipsam. Quo sensu dicunt sæpe Patres, adorationem attributam rei irrationali non contineri seu claudi intra ipsam; nihilominus dicendum est, rem irrationalem vere esse adorabilem propter aliam intellectualem, ita enim absolute loquuntur Patres VII Synodi. Unde, ut talis adoratio rei irrationalis honesta sit, et conformis rationi, satis est quod tota nitatur in excellentia alicujus rei rationalis. Quod vero illa adoratione simul colatur eadem res intellectualis tanquam objectum quod directe adoratur, nulla ratione probatur esse necessarium ad honestatem actionis, quia, quando honor est respectivus, non est necesse ut res illa, quæ est veluti materia adorationis, percipiat honorem sibi exhibitum, sed satis est quod ille, propter quem exhibetur, illum percipere possit; quia honor non ea intentione exhibetur hujusmodi rebus, ut ipsæ illum percipiant, sed solum ut convenienti et reverenti modo tractentur, juxta existimationem quæ de illis haberi debet; atque adeo ut hæc ipsa existimatio ipsismet actionibus significetur et ostendatur; significatio autem hæc, sicut non fit propter imaginem quæ adoratur, ita neque fit ad ipsam, id est, ut ipsa percipiat animum et intentionem adorantis, sed hoc modo ordinatur significatio ad eum propter quem fit adoratio, vel certe etiam ad alios, qui adorationem vident.

42. *Irrationali creature qualiter se possit submittere rationalis.*—Ad replicam autem ibi factam contra hanc responsionem, aliqui concedunt esse in imagine aliquam dignitatem, ob quam coli possit et debeat, nimirum consecratio aliqua, vel dedicatio divino cultui, seu similitudo ad personam sacram; hæc enim in ipsa imagine est, et videtur esse aliquid sacrum, quod denominat rem aliquo modo sacram et sanctam, et consequenter adoratione dignam, juxta illud: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Sed nihilominus dicendum est, quod etiam Concilia significant, in imagine non esse orna-

liter, et intrinsece excellentiam aliquam propter quam sit adoranda, quia, licet in ea sit figura, vel etiam relatio ad exemplar, tamen hoc totum non constituit illam adoratione dignam, sed solum exemplar, quatenus ut forma extrinseca, et terminus habitudinis imaginis ad ipsum, illam sanctificat et venerabilem reddit. Cum autem objicitur, extrinsecam excellentiam non posse efficere ut homo rationabiliter serviat, aut se submittat rei irrationali, respondetur quod si hæc ratio quicquam valeret, etiam probaret imaginem non esse adorandam ex propria et vera intentione cultus, etiam cum prototypo, quia etiam tunc homo, saltem ex parte, serviret creaturæ irrationali propter extrinsecam causam. Vel si illud est licitum, licebit etiam illum modum servitutis exhibere imagini, propter exemplar, quamvis præcise (ut ita dicam) et separatim exerceatur. Unde, qui hac ratione utuntur, omnem veram imaginis adorationem evertere intendunt. Dicendum est ergo nullum esse inconveniens, quod homo aliquo modo se submittat rei irrationali, non propter ipsam, sed propter exemplar quod repræsentat, quia hoc non est servire creaturæ propter se ipsam, sed propter Deum, quod est servire Deo in ipsa. Unde per tale officium adorationis homo non ita se submittit imagini, ut profiteatur se inferiorem illa, sed solum proficitur imaginem pertinere, seu esse aliquid ejus, qui superior et excellentior est; ideoque dignam esse quæ ab homine reverenter tractetur. Ad alteram vero objectionem jam responsum est, excellentiam prototypi esse proximam rationem adorandi imaginem; inde autem non fit, quotiescunque adoratur imago, necessario adorari exemplar ut objectum quod primario adoratur; nam, ut ostendimus, fieri potest in actu intellectus et voluntatis, ut ratio formalis, in qua fundatur, non attingatur directe, et ut quod, per talem actum, sed tantum oblique, et ut quo.

43. *Adoratio excellentis personæ pariter circa terram, ac imaginem exerceri valet; at terra tunc non adoratur, secus imago, et quare.* — Ad confirmationem secundæ rationis, falsum omnino est intentionem rite adorantis non esse adorare imaginem, sed solum exercere, circa illam, actionem qua adoratur prototypum, nam inde fieret, imaginem nunquam vere adorari, quod falsissimum est; fieret etiam imaginem non magis esse adorabilem quam sit terra, quam osculando, potest quis Deum adorare, per illam actionem submis-

sionem sui animi ad Deum profitendo. Nec desunt moderni Theologi, qui in rigore ita esse fateantur, solumque in usu aiunt esse nonnullam differentiam, quia imago est jam dicata ad exercendum, circa illam, adorationem Dei, terra vero non est ad hoc munus specialiter deputata, licet ex hominis libertate, et peculiari affectu possit ad id munus assumi. Sed revera consequens illud alienum est a sensu Conciliorum, et Sanctorum, dicentium, imagines, et res alias sacras, esse vero honore et veneratione dignas, quod de terra dici non potest, quantumvis deoscultatione ejus quis utatur ad colendum Deum, neque ullus recte sentiens dicet, per eum actum vere ac proprie adorari terram, cum tamen imago vere ac proprie adoretur, ut ostendimus.

44. *Tertiæ principalis rationis solutio.* — Ad tertiam rationem, concedo hanc adorationem imaginis Christi esse actum religionis, quia non oportet ut religio omnem suum actum expresse ac formaliter dirigat ad rem intellectualem, ut ad objectum quod, sed satis est ut ratione illius rem irrationalem reverenter tractet, in quo virtualiter exhibetur rei intellectuali debitus cultus, quamvis in expressa et formali intentione hoc non habeatur. Atque idem in justitia reperitur, nam, licet proprium ejus munus sit reddere jus suum alicui personæ rationali, tamen non in omni actu suo hoc ita formaliter et expresse intendit, ut respiciat illammet personam tanquam objectum quod, seu circa quod operatur, sed interdum exercendo actum circa rem irrationalem, vel inanimatam, ratione stipendii, vel mercedis, virtualiter reddit jus suum domino, et idem manifeste in injustitia contingit, quod lædendo rem inanimatam fit contra jus debitum personæ rationali, quamvis hoc directe non intendatur.

45. *Quarta ratio in ejusdem assertores retunditur.* — Unde ad quartam rationem respondetur, potius confirmare nostram sententiam, nam irreverentia facta imagini, quamvis virtute transeat in exemplar, tamen non semper procedit ex formali ac expressa intentione, quæ attingat ipsum exemplar, ut objectum quod, intendendo, scilicet, illi injuriam et irreverentiam inferre. Dupliciter ergo potest aliquis irreverenter tractare imaginem, vel rem sacram: uno modo ex conceptu ipsiusmet personæ repræsentatæ, directe intendendo illius injuriam, et quasi vice illius illam circa imaginem exercendo, quomodo ali-

quando Judæi verberibus affecerunt ac lancea percusserunt imaginem Christi crucifixi, de quo extat historia apud Athanasium, et in VII Synodo; et hæc irreverentia opponitur priori adorationi imaginis, ut imago est, explicatæ sectione præcedenti. Alio modo potest irreverenter tractari imago solum ex injuria, vel irreverentia circa res sacras, vel certe ex errore, si quis existimet imaginem non esse honorandam, etiamsi exemplar adoretur; et hoc sacrilegium respondet, seu opponitur adorationi respectivæ, quæ ipsis imaginibus debetur. Unde, sicut hæc adoratio inferior est illa, ita hoc sacrilegium tanto inferius est illo, quanto intentio virtualis minor est quam formalis, et indirecta quam directa; vel quanto sacrilegium contra personas sacras majus est quam contra imagines, vel res sacras, ut docuit D. Thom. 2. 2, q. 99, art. 3.

SECTIO VI.

Utrum hæc adoratio imaginum, etiam in imaginibus Dei et aliis sacris signis, locum habeat.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia imago Dei, ut Deus est, seu Trinitatis (de hujusmodi enim imagine loquimur), solum metaphorice repræsentat, et ideo minus apta esse videtur, ut in ea adoretur prototypum propria adoratione sibi debita, quam propria imago, quæ per formalem similitudinem repræsentat. Et confirmatur primo, quia alias homo, prout est ad imaginem Dei, adorari posset patria; imo et quælibet creatura, prout est vestigium Dei. Et confirmatur secundo, quia alias etiam nomina sacra Dei, aut Christi, possent similiter adorari, quia non minus repræsentant, aut in memoriam revocant personas, quas significant, quam hujusmodi imagines metaphoricæ sua exemplaria.

2. *Imagines, ut colantur, quomodo publica auctoritate et impositione indigeant.* — Respondetur, imprimis certum esse has imagines, postquam ad repræsentandum institutæ sunt, sacras esse, atque adeo in veneratione habendas, quod plane colligitur ex VII Synodo, quæ eodem modo loquitur de imaginibus Angelorum, et aliorum Sanctorum, cum tamen illæ etiam per metaphoram repræsentent. Et idem confirmat VI Synod. et usus Ecclesiæ, quæ imaginem Christi sub specie agni in veneratione habet, quidquid Sylvester dicat, verbo Imago. Et ratio est, quia etiam istæ imagines habitudinem habent ad personas sacras, et religiose institutæ sunt; unde

earum veneratio ad honorem prototyporum pertinet. Observare autem oportet, quia hæc imagines non repræsentant naturaliter, ideo in illis maxime necessariam esse impositionem, et propterea, moraliter loquendo, oportere ut publica auctoritas interveniat, quæ hujusmodi imagines ad talem usum imponat. Quod fortasse indicare voluit Cajet. hoc loco, cum dicit adorationem harum imaginum non esse malam, oportere tamen ut publica auctoritate fiat, et in hoc illam comparat cum occisione hominis, quanquam exemplum non videatur in omnibus accommodatum; quia occisio hominis, per se nude sumpta, non est honesta, nisi veluti per accidens, propter necessitatem defensionis aut justæ pœnæ; hæc vero adoratio per se est utilis et honesta, quamvis objectum requirat debite propositum, et ideo necesse sit ut imago sufficienti auctoritate sit ad repræsentandum proposita. Et hinc etiam oritur ut aliqua signa sacra, quæ aliquando propter divinam impositionem veneratione digna fuerunt, jam non sint colenda nec veneranda, quia jam impositio cessavit, et consequenter significatio et repræsentatio, et hujusmodi sunt sacramenta vetera, serpens æneus, et similia.

3. Secundo addendum est has imagines coli posse illo duplici modo in aliis imaginibus explicato. Nam imprimis, ut res quædam sacrae sunt, honoraria veneratio illis exhibetur, ut Concilium Nicæn. dixit; deinde (ut notavit Walden. dicto, tom. de Sacramental., c. 156), quamvis repræsentatio harum imaginum minus propria sit, tamen, supposita impositione, habent sufficientem representationem, satisque expressam, ut in ipsis et per ipsas fiat adoratio, quæ per se primo referatur ad prototypa, et concomitanter circa ipsas versetur. Ex quo fundamento ratio dubitandi in principio posita expedita relinquitur.

4. *Responsio ad argumenta.* — *Quomodo homo ut imago Dei adorari possit.* — Circa confirmationem, D. Thom. hic ad tertium plane sentit non esse intrinsece malum adorare hominem, prout ad imaginem Dei est, seu potius in illo adorare Deum cultu patriæ. Quam sententiam bene explicat Cajetan. 2. 2, q. 102, art. 3, ad 3; et Walden. supra, c. 154, qui nonnulla circa illam congerit. Et indicatur etiam a Greg. Nyssen., lib. de Creat. hom., cap. 4; et Cyrillo Hierosol., Catech. 12. Ratio vero eadem est, quæ de aliis imaginibus. Addunt vero prædicti auctores, raro, vel nunquam expedire uti hac adoratione,

quia cum homo sit per se et propter se adorabilis, humano quodam et inferiori honore, si sub aliqua ratione coleretur adoratione divina, præter suspicionem et scandalum, posset interdum esse occasio vel periculum transferendi ad hominem per se absolute divinum honorem, quod sacrilegium est; hoc autem periculum cessat in imaginibus inanimis. Adde præterea, licet homo creatus sit ad imaginem Dei, tamen ex sola ratione imaginis et naturali repræsentatione non referre Deum ut Deus est, seu quoad attributa propria Dei, sed solum quoad communia intellectuali naturæ, et cum alias non sit etiam hæc imago imposita ad repræsentandum Deum, secundum ea quæ illi sunt propria, ideo non videtur esse sufficiens ratio utendi hac imagine ad hunc adorationis modum, quamvis, secluso scandalo et periculo, et in homine spirituali ac bene instructo, non possit intrinsece malus existimari.

5. Et hinc constat quid dicendum sit de inferioribus creaturis, quæ multo minus repræsentant Deum quam homo, et ideo multe minus possunt sic adorari, licet quia sunt effectus Dei, in quibus ipse est intime præsens, in illis posset Deus tanquam in sua sede adorari, ad eum modum quo dicitur Matth. 5: *Nolite jurare, neque per caelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, etc.* Hic tamen adorationis modus valde spiritualis est, et subtilis.

6. *Objectio.* — Et ex his solvitur obiter objectio quæ contra conclusionem fieri posset. Sequi enim ex illa videtur agnum verum vel solem adorari posse, quia metaphorice repræsentant Christum, quod tamen irridet Augustinus, conc. 3 in Psal. 113, exponens illa verba: *Sol cognovit occasum suum.* Negatur ergo consequentia, tum propter periculum; tum etiam quia res illæ non sunt impositæ ad repræsentandum Christum, neque ex natura sua illum repræsentant.

7. *Adoratio propria nominibus sacris debita.* — Ad secundam confirmationem de nominibus sacris, quidam existimant illis non deberi ullam adorationem propriam, quia tantum habent implicitam significationem ex impositione, et instituta non sunt ut suppleant vicem rei repræsentatæ, et in utroque differunt ab imaginibus quæ et expressius significant, et ex institutione locum gerunt personarum quas repræsentant. Ita sentit Dom. Soto, lib. 2 de Just., q. 4, art. 2; Cordub., d. lib. 1, q. 5, dub. 4, articulo 2, ad 1 confirm. 7 argu-

ment. Addunt tamen hi auctores, abusive et improprie honorari hæc nomina, quia excitant memoriam personarum, quæ, auditis hujusmodi nominibus, statim honorantur, et hoc modo fideles, audito nomine Jesu, caput aperiunt, juxta illud ad Philip. 2: *In nomine Jesu omne genu flectatur.* Hæc tamen sententia mihi non probatur. Censeo itaque imprimis sacra nomina, præsertim nomen Jesu, non tantum abusive, sed etiam proprie et in se adorandum esse, propter eum quem significat. Probatur primum ex dicto loco Pauli, et usu Ecclesiæ, quia hoc modo proprius, magisque juxta communem fidelium sensum intelligitur. Unde Iren., l. 4 contra Hæres., c. 36: *Nomen, inquit, Jesu per universum mundum glorificatur in Ecclesia.* Et illud statim cum imagine comparat. Idemque sentit D. Thom., opusc. 60, a. 6, ubi multa in honorem hujus nominis egregie congerit. Idem Abul., in c. 20 Exod., q. 6 et 7. Secundo, lib. Evangeliorum adorandus dicitur in VII Synod.; ergo et nomen Jesu scriptum adorandum erit, nihil enim illo dignius est in toto Evangeliorum libro; ergo et nomen Jesu voce prolatum eodem modo adorandum erit; ut enim dicitur VIII Synod., can. 3: *Quæ in syllabis sermo, hæc et scriptura prædicat et commendat.* Tertio, ratione ex his verbis canonis desumpta, quia ratio hujus adorationis, tam respectu scripturæ quam vocis, est res significata; quod vero res ipsa significans sit vox vel scriptura, materiale quid est; ergo non impedit rationem adorationis. Et confirmatur, quia hoc nomen est res quædam sacra, et ad usum religiosum suo modo destinata; ergo vel hoc titulo est adoratione dignum. Denique irreverentia huic nomini facta culpa est religioni repugnans; ergo e contrario hæc virtus inclinatur ad honorem aliquem tali nomini exhibendum.

8. *Adoratio sacris nominibus debita respectiva est.* — Adde vero hujusmodi adorationem, his nominibus sacris debitam, potissimum esse respectivam illam, et venerariam adorationem, quam supra late explicuimus, quamque VII et VIII Synod. litteris sacris tribuendam esse docuerunt. Illa enim prior, qua adoratur persona, vix potest his nominibus accommodari, tum quia tantum implicite et per solam impositionem significant; tum quia cum nomen transeunti voce proferatur, difficile potest apprehendi ut conjunctum cum persona, seu persona in ipso, ut in illo et per illud adoretur, ipsumque nomen eadem ado-

ratione coadoretur, quæquam neque hic modus adorationis impossibilis videatur, ut ex dictis facile intelligi potest.

SECTIO VII.

Utrum hæc adoratio imaginum non solum honesta sit, sed etiam sub præceptum cadat.

1. In hac adoratione duo considerari possunt, scilicet usus, vel modus ejus; unde primo quæri potest an sit præceptum exercendi hanc adorationem, seu utendi illa. Deinde, an modus talis adorationis cadat sub præceptum. Potest autem esse sermo de præcepto naturali vel positivo, divino vel ecclesiastico.

2. *Usus, seu adoratio imaginum non est ex præcepto naturali.* — Dico ergo primo, absolute et simpliciter non esse ullum præceptum naturale vel divinum, utendi imaginibus, et consequenter neque adorandi illas. Probatur, quia neque in Scriptura sacra tale præceptum continetur, neque ex sola traditione colligi potest esse aliquam legem divinam, hunc usum præcipientem, ut ex dictis facile constare potest. Nam, licet ostenderimus Christum facto suo hanc consuetudinem probasse, non tamen præcepisse, neque etiam sola naturali ratione potest hoc præceptum demonstrari. Quia, licet teneamur Deum et Sanctos colere, tamen ex sola naturali ratione, ad certum modum cultus externi non obligamur; et ideo nulla est naturalis lex qua cogamur illos per imagines colere, et consequenter nec imaginibus, aut earum cultu et veneratione uti.

3. *Consuetudo Ecclesiæ circa imaginum usum instat præcepti.* — Dico secundo ex, more et consuetudine Ecclesiæ esse aliquo modo præceptum sacrum imaginum usum. Explicatur, nam imprimis templa et altaria ornari debent imaginibus, neque aliter possunt sine scandalo et gravi irreverentia, supposita fidelium existimatione et consuetudine, in eis munera sacra peragi. Deinde, quilibet fidelis male et superstitiose ageret, si ex industria ab usu imaginum abstineret; quia si hoc faceret judicans illum esse malum, hæreticus esset; si vere id faceret judicans id esse convenientius, vel ad spiritualem profectum utilius, certe superstitiosus esset, et vix posset non generare scandalum, et erroris suspicionem, præsertim cum hic usus tam frequens sit universæ Ecclesiæ, nec partes debeant a corpore dissidere. Deinde interdum posset

obligare hoc præceptum, ubi ad honorem religionis seu fidei confessionem existimaretur necessarium; absolute tamen et simpliciter, non invenio in hac re præceptum affirmativum quod singulos fideles obliget. Unde, si quis ex negligentia vel avaritia nunquam imaginibus privatim uteretur, ex hoc capite speciale peccatum non committeret.

4. *Supposito imaginum usu, duplex præceptum oritur.* — Dico tertio, supposito sacrarum imaginum usu, duplex circa illarum cultum ex natura rei præceptum oriri. Alterum est negativum, non inferendi illis injuriam aut irreverentiam, quod per se clarum est ex supra tractatis, et hoc præceptum ex suo genere sub mortali peccato obligat, cum materia ejus gravis sit, et ad religionem spectet. Alterum est affirmativum, tribuendi his imaginibus debitum cultum; sed hoc tantum obligat pro temporibus necessariis juxta morem affirmativi præcepti. Hæc autem necessitas solum esse potest, vel si fidem confiteri oportet per hujusmodi actum, vel si cum cæteris fidelibus publica adoratio facienda sit, vel denique si aliqua alia actio circa imaginem exercenda sit, quæ reverentiam requirat.

5. Dico quarto, esse naturale et divinum præceptum servandi modum debitum circa hanc imaginum adorationem. Abstinentum est enim ab omni superstitioso cultu, neque alius modus adorationis illis tribuendus, quam sit earum institutioni seu naturæ consentaneus, alias actio in idololatriæ vitium facile deflecteret.

SECTIO VIII.

Quantum inter hac imaginum adorationem et idolorum cultum intersit.

1. Explicata vera imaginum adoratione, operæ pretium erit exponere quam longe distet a falso idolorum cultu, ut omni ex parte infidelium et hæreticorum objectionibus satisficiamus. Illi enim (ut refert Gregorius Papa, epist. ad German. Constantin., quæ habetur in VII Synod., act. 4) non putant excusari Ecclesiam ab idololatriæ vitio adorando imagines, etiamsi illas propter extrinsecam excellentiam prototypi adorare se dicat. Nam etiam gentes dicebant se adorare idola, ut eorum hominum vel spirituum imagines, quos in honore habebant, non tamen idcirco ab idololatriæ peccato excusantur. Assumptum patet ex Euseb., lib. 8 de Præpar. Evang., c. 3, dicente: *Adorant idola, ut imagines eorum,*